

rum, et sua modestia, vnus omnium maxime  
 floret; eaque esset aetate, vt non iam solum  
 de eo bene sperare, sed etiam confidere ciues  
 possent sui, talem futurum, qualem cognitum  
 iudicarunt: accidit, vt Athenienses Cherfone-  
 sum colonos velent mittere. Cuius generis  
 quum magnus numerus esset, et multi eius de-  
 migrationis peterent societatem: ex his dele-  
 cti Delphos deliberatum missi sunt, qui consu-  
 lerent Apollinem, quo potissimum duce vte-  
 rentur. Nam tum Thraeces eas regiones te-  
 nebant, cum quibus armis erat dimicandum.  
 His consulentibus nominatim Pythia praece-  
 pit, vt Miltiadem sibi imperatorem sumerent.  
 Id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc  
 oraculi responso Miltiades cum delecta manu  
 classe Cherfonesum profectus, quum adces-  
 sisset Lemnum, et incolas eius insulae sub po-  
 testatem redigere vellet Atheniensium, idque  
 Lemnii sua sponte facerent, postulasset, illi  
 irridentes responderunt, tum id se facturos,  
 quum ille domo nauibus proficiscens vento  
 aquilone venisset Lemnum, hic enim ventus a  
 septentrionibus oriens, aduersum tenet Athe-  
 nis proficiscentibus. Miltiades morandi tem-  
 pus non habens, cursum direxit quo tendebat,  
 peruenitque Cherfonesum.

A 3

II. Ibi